De eximio usu,
evacuationis artificialis muci,
per faucium nariumq organa,
in quibusdam morbis, qui e Cachexia Pituitosa
ortum ducunt.

H Callisen
Danus

Accurata cognitio partium humani corporis, legum physiologicarum, juxta quas functiones, secretiones et excretiones per haec organa fiunt, et denique dogmatum physico-mechanicorum, ex quibus vis et Energia horum principiorum concipitur, sola, mentem Medici et Chirurgi dirigere potest, in veritatis indagatione, et nos conducere, ad cognoscendum, num morbus huic vel alteri principio sit adscribendus. Alimenta, quae ad nutritionem corporis assumimus, partes constitutivas humani corporis continent, actio viscerum atque vasorum eas dissolvit, corrigit miscet, et ad generalem, oeconomiae animalis, usum distribuit. Una cum alimentis vero multae partes heterogeneae, humoribus nostris miscentur quae certissime brevi tempore, Machinam corporis humani destruerent, nisi vigore organorum actioneque vasorum, per emunctoria adaptata, ejicerentur. Quamdiu debita vi pelluntur fluida, a corde in arterias liberas, exindeque per venas ad cor revertuntur, tamdiu debita fluidorum Crasis perseverat, excrementitii humores ex sanguine segregantur, et nullibi fiunt Stases, quod vasa relaxaret; Verum imminuta vi cordis atque vasorum, et retardato fluidorum in vasis circuitu, indoles eorum mutatur, se et excretiones turbantur, proportio cruoris ad Lympham in dies imminuitur, laxitas solidorum partium inde augetur et Cachexia

pituitosa oritur. Deficiente vi trusiva, cruor minori vi pellitur, quam ut possit arterias ultimas laterales diducere, et adhuc minus subire, inde deficit in vasis cutaneis et pallorem producit. Idem cruor nec ea vi atteritur, qua possit calor nativus foveri, inde humores gelatinosi lymphatici inspissantur, cum eam rationem habeant, ut perfectam fluiditatem perdant, si non ad certum caloris gradum calent, et si lentius moventur, viscidam mucique similem naturam induant. Eadem quoque est muci natura, quo tota aeris, ciborum urinaeque via obungitur, ut celeritate et calore amissa, in corpus viscidum et tenace abeat. Cum vero utilitas manifesta hujus muci lubricique humoris sit, teneros et sensibilissimos nervulos tueri, quos sicci aeris vis, aut aliorum corporum attactus, ingratissimo sensu afficeret, nisi benefica muci vis intercederet: inspissatus, hunc ad scopum eo aptior redditur. In habitu totius corporis laxo, debilitataque vi vasorum, porro, potulenta non bene miscentur sanguini, nec in sanguinem comutantur, tum ob bilis serosae inertiam, tum ob languorem pulsationum cordis atque arteriarum, inde accidit, ut sanguis abeat in duas substantias; unam spissam, viscidam, non satis elaboratam, quae vasa ultima infarcit obstruitque, viscerumque infarctus et obstructiones producit, alteram aquosam, quae fluidior solito, facile in vasa lymphatica lateralia et inde in textum

cellulosum loco adipis influit; hinc sensim textus ille cellulosus, serosa et aquosa lympha distenditur. Hoc modo omnia symtomata, quae ex depravatione visciditateq; serosa oriuntur, et ad hanc Classem morborum pertinent, deducenda erunt. Hinc evidens est, ad genericam horum morborum curam requiri, ea quae cordis vires recreare, solidorum tonum restituere, viscida resolvere et non resolvenda evacuare valent. Quia vero conditio fluidorum pituitosa, laxitatem partium solidarum sustinet, augetq; et evacuationes per urinam alvum et sudorem, saepe non sufficiunt aut naturae morbi, aegrotiq; contrariae sunt, saepissime invincibile curationi impedimentum inde opponitur.

Sed cum mihi solummodo mens sit, pituitae mucosae, evacuationis modum, naturae legibus conformem, Academiae proponere, quo excerni atq; attenuari possit pituitosa colluvies, restitutioq; toni partium solidarum simul facilitari, ea quae ad reliquam medelam Cachexiae pituitosae pertinent praetereo.

Natura ad muci secretionem, ejusq; excretionem differenti modo utitur; in nonnullis locis, verae glandulae conglobatae, ad ejus secretionem dispersae, et excretio per proprios ductus excretorios perficitur; in aliis locis, folliculi, sinus cryptaeq; muciparae, ad muci evacuationem adornatae; in aliis deniq; per ipsos extremos vasorum exhalantium fines absq; interposito folliculo mucoso, liquor ad destinata loca secernitur.

Equidem, in ipsa quasi muci Metropoli, narium nempe cavea, multi recessus et sinus ipsi Pituitarii, in quibus muci magna quantitas reservatur, adsunt neque tamen glandulae ullae apparent.
Nullus in toto corpore humano locus adest, ubi omnis generis organa mucipara ita coacervata sint quam in oris, faucium, nasique cavo; praeter copiosissimam salivae tenuioris per majores glandulas salivales, evacuationem; pars superior et posterior linguae, vicinior Epiglottidi, perspicuas habet glandulas, copiosas, simplices, quae mucum parare, retinere, et ad motum quemcunque linguae excernere aptae factae sunt. Pharinx ubique innumeras glandulas ostendit, duriusculas, ovatas per exiguum ductum porumque mucum fundentes, tunc potissimum, quando musculi vicini agunt, qui dum saccum hunc varie constringunt, mucum de glandulis exprimunt. Tonsillae majorem muci copiam parant, eumque per foramina propria, in cavum oris patula, effundunt. Glandulae labiales, buccales, palatinae eaeque quae ad septum nasi apparent, ad eundem usum dispersae sunt.
Praeterea in toto oris ambitu, nasique parte, innumeri adsunt folliculi, sinus, cryptaeque muciparae mucum undique parantes, quo Pharyngis, linguae, veli palatini, dorsi Epiglottidis, tubaeque Eustachianae superficies abundanter obungitur. Huc accedunt innumera ostia vasorum exhalantium, quae non solum humorem tenuiorem permittunt, sed mucum quoque tenacissimum, praesertim eum, quo sinus pituitarii, ac universae nares abundant, effundunt. Equidem horum sinuum usum, quos mira sane arte, in cavo narium excavatos invenimus, non solummodo, in modificatione

aeris inspirandi vocisq formatione consistere
videtur, sed ad formationem perfectionemq magis
hujus, muci emunctorii, multum contribuere.
Ingens muci, ejusq tenacissimi, copia, quo totum
sinuum cavum in cadaveribus repletum videmus;
Symtomataq quae ex retensione, impeditaq
ejus excretione, quotidie oriuntur, hoc a posteriori
affirmant. praesertim cum e novorum autorum
perscrutationibus certum sit hosce sinus,
parum aut nihil ad organum odoratus con-
tribuere, cum distributio nervorum ac structura,
membranae, sinuum cavum circumvestientis,
de ea, quae reliquam cavum, imprimisq
claustrum narium obducit, valde differat.
Praeterea rapidior percursus aeris, per viam
narium fauciumq patulam, ingressioni aeris,
in ossium maxillarium, sphenoidei, frontisq
caveam, plures difficultates opponere, quam
liberum ejus introitum permittere videtur.

Ex omnibus hisce fontibus, ideo, liquor
paratur viscidus, mucosus idemq copiosissi-
mus; et haec sunt emunctoria, a natura
ipsa ad hunc scopum adornata, per quae
Pituitae muciq evacuationem instituendam
esse credo, si abundantiae ejus in sanguine
signa manifesta adsunt. Praesertim cum omnia
organa mucipara, eam rationem habeant, ut
leviori stimulo sollicitata maximam muci
copiam effundere possint, ut in Coryza et Catharro fit.
Hae partes, hunc effectum eo libentius praestabunt,
si eorum ductus excretorii patuli, et de omni muco

tenaciori Liberi tenentur.
Ecce modum quo evacuationem muci faucium nariumque instituere soleo. Vestimentis linteisque circa collum exacte solutis, aegrotus fauces aqua tepida reiterata Gargarizatione abluit, ac alternative, aquae tepidae copiam, in nares attrahit, iterumque ejicit; ut extrema vasorum, atque glandularum ductus excretorii, inde aperiantur, mucus vulgo tenacissimus, superficiem faucium nariumque obducens, abluatur, et circulus versus glandulas muciparas, vasaque hujus regionis augeatur. Ad huncce scopum in omni puncto eo melius attingendum, proderit, postquam aqua inspiratione in nares inducta est, ejectionem ejus, levi compressione narium ad aliquot momenta protrahere, atque diverso motu ac situ capitis, ejus ingressionem in circumvolutiones sinusque nasi facilitare. Inspiratio reiterata aquae tepidae, sub praecautionibus dictis, et alternativa Gargarizatio faucium, exactam ablutionem harum partium efficiet; et si indicia majoris muci copiae, in una alteraque parte adsint, actio aquae tepidae, ad hanc partem, tubis curvatis, siphone, exactius conduci poterit, ad tubae Eustachianae ductus nasalis, sinuumque orificia eo certius abluendum. Haec operatio, si ad aliquod tempus continuata est id quod in initio valde ingratum, assuetis vero parum aut plane non incommodum est,

cavum oris fauciumq ambages, spongia, stilo ossis Sepiae, affixa, leniter ubiq deterguntur usq dum conatus vomendi, et respiratio, huic actui finem imponit. Haecce Gargarizatio, inspiratio aquae in nasum et detersio faucium cum spongia, alternative, lente tamen, et debito temporis intervallo instituantur, ne affluxus sanguinis ad caput inde nimis augeatur, respiratio non impediatur, et ut evacuatio muci eo copiosior institui possit. Mirum sane et incredibile dictu, quanta Pituitae tenacissimae copia, hac operatione, si ad quartam, aut ad dimidiam horae partem continuatur educi poterit. Stupens saepissime, libram, et majorem adhuc quantitatem, muci tenacissimi, brevissimo tempore per hanc viam ejectam, vidi. Nonne tanta evacuatio ad circumstantias saepius instituta, majorem influxum in corporis oeconomiam habere debet? Nonne in omnibus istis morbis proderit, qui e vitiosa Lympha, sive quantitate sive qualitate peccet, oriuntur? qui impeditas excretiones serosas comitantur, et qui, e tenacitate nimia Pituitae, ostia ductuum excretoriorum atq vasorum, faucium nasiq obstruentis, ortum ducunt? Sane hoc nullum dubium permittere videtur. Longus essem si omnia ac singula exempla optimi successus hujus methodi, quae mihi nota sunt enumerare vellem. Experientissimus Dn Hintze Legionis marinae Havni-

ensis, Chirurgus primarius, Praxin chirurgicam per 30 annos feliciissime exercens, saepissime hunc evacuationis modum felicissimo cum eventu applicavit. Sed fas mihi sit, nonnulla solumodo observata afferre, quorum testis fui, et ubi hancce evacuationis mucosae modum insignis utilitatis esse inveni.

Si aut ob rationem aeris, aut ob subitam frigoris calorisq variationem, aut ob alias caussas, perspiratio insensibilis supprimitur; materia naturae lege imutabili excernenda, in massa sanguinis retinetur, et haec materia heterogenea, oeconomiam animalem pro parte perturbat. Eadem vero directione naturae, haec materia, vulgo, ad magnum illud muci ac serositatis emunctorium ducitur, hoc est ad nares et fauces. Spongiosa membrana, has partes circumvestiens, tumet, congestione serosa corripitur, majorem muci tenuioris copiam mittit, qui ob degeneratam naturam partes vicinas irritat. Dolor gravans, se ad regiones sinuum cranii extendit, irritatio, ob continuationem membranarum, pectori et pulmonibus comunicatur, et tussis ac ejectio muci tenacissimi, satis adductionem materiae peccantis ad hasce partes indicat.

Aspecti sumus, aegrotis, inspirationem saepiorem, vaporis aquae calidae, aut decocti

cujusdam emollientis, commendare; quanto magis
pituitosi inde facilitatur, mucus ipse, et eatenus
attactum aeris ad fluiditatem dispositus, inde diluitur,
ostia vasorum, atque glandularum excretoriarum relaxa-
tur, spasmus minuitur, et modo haec mutuo,
molestiis tamen acrioris afferre solet. acroti-
me tamen vapor calidus insufficiens; mucus enim
narium, cujus pars maxime fluida effluit, ejusque
pars majoris consistentiae, cujus viscositas praeter
attactum aeris, calore majori adhuc aucta est,
maximam tum narium partem implet, ac
penetrationi vaporis invincibile impedimentum
opponit. Infusio aquae tepidae in nasi
ambages, aut ejus injectio, juncta cum eva-
cuatione et detersione eorum, longe
efficacior erit, et applicatio hujus tepidi
in Coryza, et Symptomatibus catharrhalibus,
certissime levamen afferet. Pluries ipse
effectum hujus remedii hoc statu expertus
sum, et omnes, quos hoc remedio usos, ita
idem affirmant.

Interdum in acriori Catharrho, materia
catharrhalis ob communicationem vasorum,
membranarumque, easdem congestiones
crassas, organo auditus et internis mem-
branae cellulas mastoideas circumvestienti,
tradit. mucus spissus, viscidus, tubae Eu-
stachianae partem arctiorem facile ob-
struit, id quod auditum difficilem, aut ple-
nam surditatem producere potest, partim
ob impeditum liberum, inter mastoideas
effluxum, partim ob interruptam aeris

externi, cum cavo tympani, communicationem.

Juvenis rusticus, quartum agens lustrum, Nosocomium Fridericianum Havniense adiit narrans, se ex quo meminerit, ante bimestre autem, levi catarrhali tussi ac gravedine valde vexatum esse: symptomatibus reliquis mitigatis, auditum valde difficilem, cum dolore gravante capitis, et impedita respiratione per nasum, remansisse.

Cum aegrotus aquam etiam per nasum attrahere non valebat, mucum cavi narium injectione frequentiori sedulo ablui, id quod liberum aeris transitum per nasum paucis diebus restituit; quo facto, ea quam descripsi evacuatoris muci methodo, quotidie cum doloris gravantis diminutione usus est.

Cum vero surditas, praesertim tubae Eustachianae obstructionem indicaret, jussu Directoris Nosocomii, bis quaterve in die aquam tepidam ad ejus aperturam injeci, per tubum, ad figuram Catheteris, quo, ad injectionem in vesicam mulierum uti, assueti sumus.

Majori muci tenacissimi copia hoc modo evacuata, aegrotus denique, sub sternutatione, irritatione aquae in nares inspiratae causata, frustra quaedam, muci tenacissimi indurati, figurae oblongae vermicularis ejecit.

Brevi tempore, effluxus naturalis secretionis muci narium, insequuta, auribus plane restitutis, ac aegrotus integre sanus Nosocomium deseruit.

Febres intermittentes, praecipue longioris durationis, et male tractatae, generaliter habitum corporis relaxant, et roborem actionemque partium solidarum diminuunt. Fluida inde male elaborantur, cruor imperfectus, serum copiosius et viscidum, et excretiones parcae et insufficientes. Hinc illae Hydropes, leucophlegmatiae, infarctus viscerum, et omnis species morborum qui tot homines affligunt, qui tantam febricitantium cladem faciunt. Laxitas partium solidarum, et mala conditio fluidorum partium, faciunt febrem intermittentem et quartanam praecipue per longissimum tempus sustineant. Inde id, quod primum statio effectus febris intermittentis fuit, tunc causam continuationis ejus praebet. Omnia roborantia, et maximae famae Febrifuga saepissime, ad debellandum hunc hostem non sufficiunt, cum atonia solidarum partium vitio sanguinis, et imprimis seri copiosissimi non satis elaborati, juvantur. Venaesectio partem hujus seri eruit sed quoque cruorem minuit qui jam jam nimis parva quantitate adest. Usus Emeticorum idem facit, sed debilitatem totius corporis et laxitatem primarum viarum auget, et praeterea paroxysmum febrilem exacerbat. Eandem ob causam Diaphoreticorum et Diureticorum usus inutilis et saepissime insufficiens. Nonne evacuatio muci glutinosi per magnum illud canalem larumq

emunctorium, hic salutaris erit cum satis magna copia ejiciatur, et nullum vero incommodum aut damnum inde afferat? Annon post talem et sufficientem evacuationem usus roborantium atque tonicorum longe efficacior erit? Plurima mihi exempla nota sunt, febres intermittentes pertinacissimas et symptomata quae eas vulgo comitari solent, hoc modo sanatos esse. Equidem non credo, evacuationem crassitatis viscidae, medelam hujus morbi solam perficere, sed quia actio medicamentorum appropriatorum inde mirum in modum facilitatur.

Virgo annum 22 agens habitu corporis tenerrimi atque laxi, quae de 4 mensibus febri quartana pertinacissima vexabatur in Hollandia, me adiit. Omnium fere febrifugorum usum morbus eluserat, et ipse Cortex Peruvianus, ad unius et dimidiae librae quantitatem a Medico datus erat. Suppressio mensium, oedema pedum, inflatio totius corporis, et dolor pressorius in Hypochondriis infarctus viscerum, extremam relaxationem solidorum atque ~~ca~~ cachexiam fluidorum monstrabantur. Consilium dedi, ut a corticis usu ad aliquod tempus abstineret, et motum corporis exerceret. Praeterea usum descriptae methodi evacuationis muci faucium nariumque commendavi. Maxima harum partium sensibilitas, saepiorem breviorumque evacuationis applicationem in initio requisivit

sed brevi tempore ad hanc operationem assueta, ad dimidiam horam, bis de die, sine majori incommodo continuare potuit. Incredibile dictu, quanta muci tenacissimi copia, mensis spatio, inde evacuata fuerit. Saepius vidi, eam brevissimo tempore libram muci ejecisse, quem stilo difficillime separare, et ad dimidiae ulnae longitudinem extendere potui. Oedema pedum, inflatio et lassitudo corporis, inde sensim diminuebatur, et vivacitas assueta restitui coepit. Post 15 dies, autor fui, ut usum febrifugorum reinciperet, et Cortex Peruvianus, cujus vires morbus antea, quamvis longe majori quantitate, eluserat, nunc optimum effectum fecit. Evacuationem muci, tamen quotidie continuavit, et mensis spatio perfectam sanitatem recuperavit. Eadem virgo nuper litteris certiorem me fecit, reditum mensium, integram restitutionem, et conatus meos coronasse.

Si ob cibum viscosiorem, aut ob habitum corporis laxiorem aut ob virus peculiaris Energiam, Lympha viscidior crassiorq; evadit, eo facilius haeret in glandulis, glandulosisq; visceribus; quia hisce in locis, ob vasorum angustiam summam et iteratam complicationem, affrictus sunt majores; In hisce vasis, Lympha viscida cumulatur, hinc lateralis pressio, lateralibus vasis inde prodeuntibus, major infertur, inde durities et intumescentia viscerum et glandularum oritur. Praesertim hoc vitium lymphae, glandulas conglobatas generaliter, et imprimis colli infestans, et Scrophulas

strumasq; producentis, forsan ob ciborum crassiorum usum, aut cavearum humidarum inhabitationem Danis valde vulgare est. Peculiare hocce virus scrophulosum, quanquam pessimae indolis, et difficillime curetur aegri, et quanquam ipsa Cicuta exacte in Nosocomio Fredericiano adhibita, et majoris certitudinis causa, ab ipso Dno Storkio Havniam missa, rarissime effectum exoptatum habuerit, 2 tamen exempla mihi nota sunt, usum Cicutae, cum quotidiana, mucci faucium nariumq evacuatione junctae, salutarem fuisse.

Puer 12 annorum de tribus annis, utroq latere strumis, castaneae, ovi gallinacei magnitudinis, durissimis, concatenatis vexabatur, quae, post intempestivam, emollientium ac suppurantium applicationem suppurabant et ulcera foetida profunda saniosa formabant. Hoc statu ao 1762 Nosocomium Fredericianum adiit. Cum morbus nec congenitus, nec haereditarius erat, nec ulla suspicio, parentes syphilide laborasse, statim usus Cicutae ad methodum Storkii, in et externus adhibitus; elapsis vero tribus mensibus, scrophulae parum de earum magnitudine decreverant, et ulcera magnam adhuc sanici copiam effundebant, inde evacuationem mucci, bis de die applicare, et de caetero usum Cicutae continuare decrevimus, quo facto post quatuor alios menses, scrophulae plane resolutae, et ulcera cicatrisationi proxima, paulo post cicatrice firma ac profunda claudebantur.

Alia puella 10 annorum, scrophulis integris sine erosione, majoribus tamen, affecta, dimidii

anni spatio, duobus hisce remediis junctis, radicaliter sanata est, ut Diaria Nosocomii testantur. Verisimile mihi videtur, evacuationem pituitosam, loco affecto ita vicinam, multum ad hanc 2plicem curationem contribuisse.

Cum Syphilis venerea potissimum, acrimoniae viscidatatisq humorum characteres prae se ferat, et Hydrargyrus ejusq praeparata, ad debellandum hunce hostem, multivarias insidias facientem, hucusq fere unicum sit remedium, quo corrigi atq evacuari possint humores corrupti; evacuatio, faucium nariumq muci, multum contribuet ad usum Mercurii efficaciorem reddendum. Nisi omnia me fallunt in quibusdam lue venerea affectis, optimum de hisce duobus remediis junctis effectum vidi; quos minori Hydrargyri quantitate et longe minori aegrotorum molestia restituere mihi contigit: id quod plane non mirum mihi videtur, cum, eo quem descripsi evacuationis modo, multo major quantitas muci tenacissimi, brevi tempore, sine molestia evacuari possit, quam salivatio longiori tempore educere solet.

Insignem quoq usum hujus methodi vidi ubi salivatio, ob vitium aliquod regiminis suppressa est.

In viro 30 annorum, qui durante salivatione aeri frigidiori se exposuerat, Symtomata gravissima, paucis horis, mitigavi, quae vitam aegroti minabantur, id quod aliis remediis, evacuantibus, diaphoreticis camphoratis, Clismatibus ita longiori tempore difficilius perfecissem.

Eadem methodus, iis, qui habitus corporis laxi, et ad Cachexiam pituitosam dispositi sunt, praeservatorie, salutaris erit. Novi aliquos, qui ea quotidie, per plures annos utuntur et optima sanitate gaudent.

Multa ac varia adhuc, de hujus remedii usu, in aliis morbis dicenda essent, sed singula facta, quorum testis fui, succincte conscribere malui.

Sane mihi gratulari possem, si Academia, si non rem ipsam, tamen conamina juvenis approbare velit, cui quamvis vires non tamen desiderium deest, ad artis saluberrimae perfectionem, paucilla quaevis contribuere.